



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Petri Danielis Huetii Demonstratio Evangelica

Huet, Pierre Daniel

Parisiis, 1679

V. Intra sepauaginta Danielis hebdomadas natus est Christus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-16260

tes contractæ sunt: minime tamen animi coaluerunt, conjunctionem dirimente insana regnandi cupiditate. Tum hæc subnexa sunt: *In diebus autem regnorum illorum suscitabit Deus cæli regnum, quod in æternum non dissipabitur, & regnum ejus alteri populo non tradetur: comminet autem & consumet universa regna hæc, & ipsum stabit in æternum.* Grotius, alique Grotio vetustiores, qui quarto regno notari censent Ægypti & Syriæ regna, ad Romanum Imperium ista referunt, quatenus futurum erat sedes Ecclesiæ. At hoc cum aiunt, vel sibi volunt in Romano Imperio Ecclesiam solum spectari, vel Ecclesiam cum Romano Imperio. Si primum, profecto verisimile non est Daniælem vaticiniis suis nobilissima notantem imperia, longe omnium nobilissimum, Romanum præterisse: si postremum, ac falsum est quod affingunt Danieli, Romanum Imperium numquam iri dissipatum, cujus vix umbra nomenque superest; nec alteri populo traditum, quod Francis, Germanis, Turcis, aliisque traditum est. Suscitandum præterea fuit regnum illud æternum *in diebus regnorum illorum*, quæ proxime commemoravit. Atqui penitus jam conciderant regna Syriæ & Ægypti, cum Ecclesiæ regnum fundavit Christus: nondum vero excitata illa erant, cum Romanum regnum exortum est. Unde sequitur stantibus regnis Syriæ & Ægypti, neque Romanorum, neque Ecclesiæ regnum fuisse suscitatum: igitur vel regna Syriæ & Ægypti, regna illa non sunt, quibus stantibus regnum illud æternum suscitandum esse prædicit Daniel; vel regnum hoc æternum, neque Romanorum Imperium, neque Ecclesiæ regnum est. Ego vero regno ferreo notari censco Romanum Imperium, ut dixi, regno vero æterno, regnum Christi, quod æternum fore sacra Litera passim docent, & nos in Parallelismo docebimus. Regna autem universa consumiturum apertissime testificatur Paulus in priore Epistola ad Corinthios: *Deinde finis, cum tradiderit regnum Deo & Patri, cum evacuaverit omnem principatum, & potentiam, & virtutem: oportet autem illum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus ejus: & in posteriore: Nam arma militiæ nostræ, non carnalia sunt, sed potentia Deo ad destructionemmunitionum; consilia destruentes, & omnem altitudinem exsolentem se adversus scientiam Dei. Et David in secundo Psalmo: Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terre: reges eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringes eos. Isaias quoque: Gens & regnum quod non servierit tibi, peribit, & gentes solitudine vastabuntur. Præcipue vero Daniel, optimus sui interpres: Er ecce cum nubibus cæli, quasi Filius hominis veniebat, & usque ad Antiquum dierum pervenit, & in conspectu ejus obtulerunt eum. Et dedit ei potestatem, & honorem, & regnum: & omnes populi, tribus, & lingue ipsi servient: potestas ejus, potestas æterna qua non auferetur, & regnum ejus quod non corrumpetur. Deinde: Regnum autem, & potestas, & magnitudo regni, quæ est subter omne cælum, detur populo sanctarum Altissimi; cujus regnum, regnum sempiternum est, & omnes Reges servient ei, & obedient. Lapidem præterea hunc, de monte sine manibus abscissum, qui statua aurea, argentea, ærea, & ferrea disjecta & comminuta, mons evasit magnus, & universam terram replevit, Christi symbolum esse certissimis argumentis vicinus ad Propositionem septimam. Sed & regnum illud æternum, regnum esse Christi, ibidem tum auctoritate Scripturæ sacræ, tum & Rabbinorum suffragiis abunde probavimus.*

V. In nono vero capite Danielis luculentum & haud scio an clarissimum omnium, quoruncumque sacri Codices Veteris Testamenti suppeditant, vaticinium proponitur; idemque longe obscurissimum. Ac clarissimum quidem, quoad Christum pertinet, qui disertis illic prænuntiatur verbis, Jesum videlicet, cujus ætas illic, undecunque tandem computandi ducantur exordia, tam manifesto indicatur, ut inde potissimum ad spem venturi circa hæc tempora Messie excitatos Judæos & Ethnicos plebrosque crediderim. Obscurissimum vero, quoad prædictarum illic septuaginta hebdomadam initia spectat & exitus. Quidquid igitur Chronologorum est, quidquid Theologorum, quicquid Scripturæ sacræ Interpretum, eorum uberrimæ extant argumenti hujus disceptationes. Verum tantis undique angustiis ac difficultatibus circumseptæ questio est; tot, tamque diversæ ac pugnantibus proponuntur sententiæ, ut penitus molesta sit ac operosa earum dijudicatio; novum vero aliquid ac certius afferre, longe etiam operosius. Quod cum nuper vir cæteroquin eruditus tentasset, in magnas ineptias delapsus est. Libenter ergo ab hac tractatione manum abstinuissem, nisi eam à me invito propositi operis ratio exprimeret.

VI. Cum in hujus prædicti interpretatione multiplex extiterit opinionum diversitas, quæ diligenter ab aliis collectæ sunt & expositæ, complures ex illis ἀπορίαις convictæ exoleverunt. Quamvis autem virorum aliquot doctorum patrocinis sese etiam tueantur bene multæ, nos tamen consulentes brevitati, tres duntaxat afferemus in medium, quarum præcipua inter cæteras auctoritas est, quæque majoris nominis patronos hæ-

Dan. 1. 44.

1. Cor. 15. 24.

1. Cor. 10. 4.

& seq.

Psalm. 1. 8, 9.

Isa. 60. 12.

Dan. 7. 13, 14.

27.

Dan. 1. 34, 35.

45.

Intra septuaginta Danielis hebdomadae natus est Christus.

Præcipua, magisque recepta proponuntur Interpretum veterum sententiarum sen-